

appellant contractum (ubi subjungo statim definitionem seu potius Descriptionem realem) quod *Depositum sit contractus realis, bonæ fidei, quò res mobilis & immobilis gratis alicui custodienda traditur & committitur eo animo ac lege, ut quando deponenti libuerit, et in specie restituatur.* Generis loco stat *Contractus*, qui absolvi- tur mutuo contrahentium, h. e. Deponentis & Depositarii con- sensu & dicitur quidem *realis*, non quasi consensus planè exclu- sus censeatur, hinc enim non minus ac ad ceteros contractus re- quiritur *l. 55. ff. de O. & A.* sed quia præter consensum ad simili- tudinem mutui, commodati, pignoris, qui contractus tamen dif- ferentias específicas à Deposito agnoscunt, res custodienda inter- veniat, necesse est *§. 3. inst. quib. mod. re contr. l. 26. pr. ff. deposit.*

#### Th. 4.

Causâ efficiente contractûs cognitâ deveniendum quoq; est ad *Subjectum* sc. *personas*, quæ consentire & cum effectu rem *asservandam tradere & accipere possunt.* Sunt autem duo nem- pe *Deponens & Depositarius*, quorum alter committit rem cu- stodiendam, alter recipit. Ex quo nunc fluit, omnes omninò homines Depositum inire posse, cujuscunque etiam fuerint sexus & conditionis *l. 1. ff. de V. S.* Deponunt itaque æquè fœminæ ac masculi, tam filii familias quàm patres familias, tam servi quàm liberi, *l. 1. §. 17. §. 30. & 31. seqq. ff. h. t. t. t. inst. de stipulat. servor.* tam minor quàm major *l. 1. §. 14. & 15. ff. eod.* & non tam unus sed eti- am plures *l. 1. §. 43. & 44. ff. eod.* neque refert bonæ fidei sint pos- sessores, qui deponunt seu malæ fidei, cum & fur rem furtivam & latro spolia sua rectè apud aliquem deponant *l. 1. §. 39. l. 31. §. 1. ff. h. t.* *Wesenbec. in parat. ff. de posit. n. 7.* quo tamen casu, si Dominus veniat rem sibi ablatam repetens meritò illi Depositarius resti- tuere debet. Etsi enim bonæ fidei consentaneum fit, ut rem re- cipiat, qui dedit, tamen totius rei æquitate inspectâ, præsertim in hoc negotio, ubi bona fides exuberare debet, Domino vero reddenda sunt, quæ factò scelestissimo fuerunt ei adempta. Un- de à deposito removentur infantes, qui propter defectum intel- lectus ne tutore quidem authore deponere possunt *§. 9. inst. de*

inst.